

292.

II 60.

**Kaspar Ursinus<sup>1)</sup> an Vadian.***Basel. 1521. December 6.*

Lob der Martha, Vadians Gattin. Urteil über Dr. Kaspar Wirth. Erasmus in Basel. Bitte um Zusendung seiner Gedichte oder Reden, die noch in Vadians Hand sind.

S. D. Mos tibi geretur, Vadiane doctissime, edendo, ut petis, epigrammate, præsertim<sup>a)</sup> cum id etiam θεολογικῶς persuadeas. De Colli mitio laudando mutavi consilium; alio in loco de viro absolutæ eruditionis opportunius prædicabo; nunc te solum in opere Pomponiano Helvetiis tuis gratulabor, qualibuscunque nugis adiectis. Grebelliam tuam ex fratris indole et morum comitate conieci, immo<sup>b)</sup> verissime deprehendi esse suavissimam pudicissimamque feminam<sup>c)</sup>; nunc denique, cum salvere me iussit, humanissimam quoque et civilissimam esse experior.

Doctorem Casparem Wirt Romę<sup>d)</sup> novi non æque malum pravumque ac sunt reliqui Romanenses<sup>e)</sup> aulici; amavit me ille plurimum. Quam vellem ex eo certior fieri — non enim nescire potest, — quid adversarii mei moliantur, placatine sint an adhuc pergant lædere. Petam ab eo hæc per literas, certum aliquem nactus. — Tandem Erasmus huc rediit, cuius adventu beatus mihi videor. Tu, ni fallor, nos invises; quod nisi feceris, ego, priusquam Viennam revertar, isthuc me conferam.

Si quid habes poëmatum<sup>f)</sup> meorum aut alibi esse intelliges, quicquid est, oro, ad me mittas. Deest epicedion in Maximilianum Cæsarem et in eundem nœnia ac præterea votum ad Virginem.

Sermonem item Galli a me Latinum factum valde desidero<sup>f)</sup>. Vale. Basileæ, VI. Decembris, anno XXI.

*Caspar Ursinus.*

Præstantissimo<sup>e)</sup> et eruditissimo viro, domino I o a c h i m o V a d i a n o, philosopho, medico et poetæ<sup>e)</sup>, doctori eximio.  
Apud S. Gallum.

a) Durchwegs „e“ für „æ“. — b) „imo“. — c) „e“ geschwänzt. — d) „Rhome“ mit geschwänztem „e“. — e) „Rromanenses“. — f) „desydero“.

1) Vgl. I, Brief 79.